



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorius
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob

[München], 1613

Reverendissimo Et Illvstrissimo Principi Ac Domino Dn. Henrico, Episcopo
Avgvstano, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)



REVERENDIS-
SIMO ET ILLUSTRIS-
SIMO PRINCIPI AC DO-
MINO DN. HENRICO, EPI-
SCOPO AVGVSTANO, &c.

SEP E iam mentem meam ista
cogitatio subiit, Reuerendissi-
me & Illustrissime Princeps; ut
quoniam variis tam Ecclesiasti-
cis, quàm politicis Summatibus & Procerib.
varia à me conscripta opuscula dicavi & ob-
tuli: tandem aliquid mearum lucubratio-
num ad Illustris. Celsitudinem V. ablegarè.
Cui tacite suggestioni iam dudum obtempe-
rasssem, nisi meretardassent vetera quedam
dicta, communi sermone ita peruulgata, ut
in proueria abierint; quorum unum vetat;
ne noctuas Athenis; alterum, ne syluis lignas;
tertium, ne fluminibus lymphas inferamus;
labore non tantum inani, sed & ridiculo;

A 2

Enim-

EPISTOLA

Enimvero ita mecum rationabar. Quid tu homo aliena Academia de paupertina tua supellectile donabis illi Principi, cui ex propria Academia huiusmodi munerum copia, larga, partim à Philosophis, partim à Theologis in singulos propemodum annos subministratur? Nimirum priscis adagiis in te, cum ludibrio iaculandis occasionem dabis. At ubi vidi, id, quod iam præ manibus erat, meum non esse, sed totum, gravissimis, antiquissimis, & sanctissimis Apostolicae Sedis Praesulibus adscribi debere; formidinem omnem abiecti: nec monumentum, quod nunc publicamus, aliò, quam ad Celsitud. V. abire volui; quia, ut dicebam, domi meae non est natum; sed Romanos Antistites, Christi in terris Vicarios, & D. Petri successores; Collectorem autem, & quasi alterum parentem, habet Carolum Magnum, Heroem illum incomparabilem; opus à doctissimis viris, nominatim à celeberrimo illo Annalium Ecclesiasticorum conditore, Baronio, summis votis expetitum, indefesso studio per Bibliothecarum angulos & forulos quaesitum, nec tamen repertum. Ex
 cuius

DEDICATORIA.

cuius lectione multiplex ad lectorem utilitas manabit. Inde enim Historia sacra multa gesta hauriet, quae frustra aliunde expectet. Nec ignorabat praestantissimus Cardinalis Baronius, quam insigniter Tomum IX. ex Epistolis Pontificum Pauli & Hadriani saginare potuisset, si earum copia facta fuisset.

Inde etiam, quiuis intelliget, quanta fuerit Potentissimorum Regum Pipini & Caroli Magni erga Romanam Ecclesiam pietas, quanta reuerentia, & obseruantia, quanta liberalitas & munificentia. Quam prompta in ea ab hostium insultibus defendenda alacritas; nec Regum solummodo, sed generatim omnium Francorum, quibus nihil incundius accidebat, quam pro S. Petro, Monarchiae Francicae protectore, arma capere. Hinc insuper clarè elucescet, quanta sit Haereticorum quorundam Balathronum impudentia, qui falsi arguere conantur Diploma Donationum, quibus Pipinus & Carolus S. Petro non modò ciuitates, sed & integras Prouincias, atque adeò opulentos Ducatus obtulerunt, quandoquidem in singulis prope-

A 3 modum

modum Pauli & Hadriani Pontificum Epistolis, harum oblationum mentio exstat: ita, ut cum Magdeburgensium Centuriarum Fabri, quorum signifer Illyricus, nimia claritate praestrikti, non inuenirent, quod contra hiscerent; ad conuicia versi, Adrianum & Pipinum duos praedones appellarint, qui ad Italia deuastationem, mutuas operas traderint. Gratius uidelicet istis euenisset; si Ecclesia Romana cum uniuerso S. Petri patrimonio, in immanium Longobardorum potestate uenisset, qua quod fortunatissimis Pipini & Caroli Magni armis in libertate asserta, ditiones, quas antiquitus possederat, & Longobardicae gentis tyrannide amiserat, recuperauit, non sine luculenta nouarum Prouinciarum accessione, munere inuictissimorum Regum.

Jam quod attinet ad Academiam, in qua uersor, & ex qua Volumen hoc ad Reuerend. Celsit. V. transmittitur, eam C. V. nec peregrina, nec aliena, satis scio, reputat; cum in Albu Academicu, iam olim relata, sacrisq; Philosophiae ac Iurisprudentiae hic operata fuerit. Et quis bonarum literarum paulo studiosior nescit, quan-

DEDICATORIA.

quantum Academia nostra clarissima & nobilissima KNOERINGERORVM familia debeat, ob locupletissimā Bibliothecā, qua à C. V. in Episcopali throno Antecessore ÆGOLPHO KNOERINGERO, Principe literatissimo, & omnium eruditorum Mecenate summo, dotata & donata est; nō sine annuo vectigali; ut sit & praefecto Bibliotheca stipendium; & libris augendis sumptus: & anniversariis exequiis KNOERINGERIANIS in aede Mariana, nō sine funebri encomio, celebrandis, impensa. Quem praesulem, si Deus ad Augustanae Ecclesiae gubernacula admotum, non tantū terris ostendisset, sed & diuturniore lucis usura perfrui concessisset, ne Academia Dilingana eximium Patronum habuisset, cui inter precipuas curas, haec etiam una futura erat, ut quoad vires & opes ferrent, dignitatem, decora, & commoda eius amplificaret.

Sed quod ob immaturam mortem negatū illi, hoc Celsit. Vestrae Illustrissime Princeps, ex eodē sanguine & stirpe descendētī, reseruatū est: quae Provinciam quasi Testamento sibi legatam, strenuē administrat; deque
Aca-

EPISTOLA DEDICAT.

*Academia sua bene merendi nullum finem
facit. Qua beneficentia illud Illustriss. Cel-
sit. V. consecuta est, ut sub nullius ex antegres-
sis Praesulibus Pontificatus, Academia studio-
sa iuventutis numero, nobilitate, & vario-
rum Religiosorum accursu magis ac in pre-
senti, floruerit, ingenti bono Ecclesia & Rei-
publica, maioribus utiq; adhuc incrementis
insignienda, si Deus Celsit. Vestrae vitam ad
plures annos prorogare dignetur, prout om-
nibus in optatis est. Nec occurrit, quod com-
munibus votis convenientius subiungam,
quam illud Davidicum. FIAT. FIAT.*

Ingolstadtj, VIII. Die Martij

M. DC. XIII.



AD